



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

Dispensare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

DISPENSARE. 117

publicum in maiorem ruinam lapsu-
rum suspicantes ob Prælatorum per-
tinaciam, silentium magis ample-
ctendum iudicauerint *art. 6. & 7.*

Diffinitòr à Superiore vocatus, &
non accedens sine causa peccat cò-
tra obedientiam, & bonum com-
mune. *art. 9.*

DISPENSARE.

*Vide Abbatissa, Confessarij quoad dis-
pensationem, Carnes, Illegitimus.*

EPiscopi possunt Ecclesiæ The-
saurum Religiosis dispensare
illis indulgentias concedendo, de li-
centia saltem præsumpta suorum Su-
periorum. Item possunt cum eisdem
dispensare quoad interstitia, quod
facere nequeunt Ordinum Superio-
res, nisi ipsi minores Ordines confe-
rant, vt Abbates. *tom. 1. q. 22. r. 7.*

Prælatus inferior nequit dispen-
sare in lege Superioris, sed bene in
pœna contracta per legis Superioris
transgressionem, dummodo non sit
reseruata. Dispensare verò in lege
est obligationem legis tollere ab ali-
quo particulari, propter aliquam cau-
sam. Dispensare autem in pœna, est
tollere prædictam pœnam iam con-

118 DISPENSARE.

tractam per legis transgressionem,
art. 8.

Si pœna imposita sit non per legē,
sed per Iudicem & Prælatus ordinari-
um, non potest Superior in illa di-
spensare, eam tollendo contra vo-
luntatem ipsius Prælati ordinarij.
Hinc generalis Minister non potest
pœnam latam à Provinciali contra
Fratrem aliquem, ipso retinente
tollere, nisi suo officio fructus fue-
rit, quia tunc potest sine facultate
Prouincialis moderni. *Ex Trident.
sess. 14 de reform. c. 1. ibid.*

Possunt inferiores Prælati aliquā-
do dispensare in lege Superioris;
primò, ratione consuetudinis; se-
cundò, in casibus leuibus, & iis qui
frequētèr accidūt, vt est lex ieiunij,
& obseruationis festorum in quibus
recurrere ad summum Pontificē, vel
ad alium Superiorem, esset omnino
intolerabile. In his enim casib Præ-
lati inferiores habēt facultatem dis-
pēnsandi, interpretatiuè à iure, & Su-
perioribus concessam. *art. 9.*

Non debent Prælati relinquere
suæ conscientix subditos petentes
ab ipsis dispensationem, vt v. g. in
die

DISPENSARE. 719

die ieiunij cœnent, aut ante horam comedant, sed debent eis compati, & benignè dispensando à suis scrupulis liberare, aut ieiunium in aliud opus pium commutare. *ibid.*

Cum Prælati Regulares iurisdictionem habeant ad similitudinem Episcoporum, possunt ipsi dispensare in omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi. Vnde sicut Episcopi possunt dispensare in omnibus, in quibus non sunt specialiter prohibiti; ita etiam Prælati Religionum, habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, possunt dispensare ex iure in omnibus, in quibus specialiter non sunt prohibiti. *articulo 10.*

Prælati Regulares possunt aliis dispensandi authoritatem delegare. Hoc autem priuilegium prælatis, pro tempore existentibus concessum est perpetuum, & dat iurisdictionem ordinariam ex natura sua delegabilem. *art. 11.*

Prouincialis potest dispensare cum Fratre, ne in casu aliquo obediatur suo Guardiano, sed non in omnibus, nec Generalis potest exime-

220 DISPENSARE.

le Guardianum à totali obedientia Prouincialis, sed solus Papa huiusmodi exemptiones efficere potest. Vnde non possunt Generales efficere prædicatores generales ad libitum, sine licentia Prælatorum ordinariorum. *tom. 1. quæst. 23. artic. 3.*

Nec potest Prouincialis expellere Religiosum incorporatum in prouincia, inauditum, & ad aliam remittere, solo titulo quòd sit in ea professus. *ibid.*

Regulares Prælati non possunt dispensare in iure communi, vt construatur Monasterium sine licentia Episcopi, ex *Cencil. Trident.* nec vt de nouo erigantur, aut diuidantur prouinciæ, aut vna alteri subiiciantur, nec vt Frater ante 25. annum possit esse Prælatus, nec ante 30. Episcopus, generalis aut Prouincialis, per similitudinem rationis, nec vt talis non sit sufficienter literatus, nec denique vt quis habeat duos Guardianatus, aut Prioratus, *art. 7. 8. 9. 10.*

Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt iure communi

muni dispensare cum suis quoad irregularitatem in bigamia vera, & interpretatiua pro minoribus tantum Ordinibus. At cum bigamo similitudinario, id est, cum Religioso, qui professus, contraxit matrimonium, & uxorem cognouit, possunt dispensare, vt ad maiores Ordines ascendat. *quæst. 24. art. 2.*

Possunt etiam cum suis dispensare in omnibus irregularitatibus ob vitium corporis contractis, vt sunt carentia oculi sinistri, lepra, pollicis amissio, scandalosa deformitas, mutilatio membri etiam occulti ex sua culpa, cum hæ nullo iuris loco Papæ referuentur. *articulo. 3.*

Licet Prælati Regulares habeant iurisdictionem ordinariã circa subditos, & quasi Episcopalem, quoad absoluendum & ligandum in foro exteriori & interiori non tamen quoad ordinandum (exceptis Abbatibus, si de minoribus Ordinibus sit sermo) vnde sicut non habent potestatem ad Ordines conferendos ita non habent ad iudicandum, an ordinandi sint irregularitate ob

122 DISPENSARE,
corporis virium infecti, si de ea sit
dubium. *art. 4.*

Possunt Episcopus & Prælatus
dispensare cum infirmo capitis do-
lore, *Navarro* teste, vt illo cooperto
celebret. *art. 5.*

Sicut Episcopus dispensare valet
cum irregulari, ex infamia facti, v.g.
ex crimine notorio sed nondum in-
fami ex infamia iuris. v.g. cum con-
uicto ex crimine nefando in iudicio,
sic & Prælati. *art. 6.*

Episcopus potest dispensare valet
irregularibus defectu scientiæ, &
potissimum Religiosis, cum non
ordinentur ad curam animarum, &
ex continuo conuictu, cum doctis
sit spes semper discendi, nec hoc
est contra *Conc. Trid. De examine pro-
mouendorum ad Ordines. art. 7.*

Non possunt Prælati dispensare,
nec Papa cum furiosis, lunaticis, &
Caduco morbo infirmis: sed cessate
morbo, ipsorum est iudicare de tem-
pore, & modo celebrandi. *ibid.*

Quando tempore duret nouitia-
tus in fide, quo non potest neo-
phytus ad Ordines maiores vel
minores promoueri, Episcoporum
est

DISPENSARE. 123

est assignare respectu secularium, & Prælatorum Religionum, respectu subditorum, quamuis *Nauiar.* innuat post decē aut viginti annos non prohiberi ordinari. *ibid.*

Prælatorum Regularium est, iudicare de sufficientia Fratrum ordinandorum, hinc eorum literis testimonialibus, quibus examinatos testantur & sufficientes, credere deberent Episcopi: nec vlllo modo obstat. *Concil. Trid. .bid*

Possunt Prælati dispensare in omnibus irregularitatibus, præterquam in ea quæ provenit ex homicidio voluntario, mutilatione manifesta, & ad iudicium deducta, præstatione auxiliij, fauoris, & bigamia; in proveniente tamen ex homicidio & mutilatione omnino occultis, possant per plures Pontifices. Quod valet, & est in usu, modo tamen nullum inde scandalum sequi possit.

Item in homicidio casuali etiam manifesto, & facto causa defensionis cum aliquo excessu *ar. 9. 10. 11. 12. 13.*

Prælati quasi Episcopalem iurisdictionem

dictio

dictionem habentes, possunt dispensare cum propriis fratribus, aut forensibus sui Ordinis, super irregularitate contracta ex administratione Sacramentorum in Censura, ex privilegio *Clement. IV.* quin etiam in contracta ante ingressum ad Ordinem. *art. 14.*

Idem possunt cum Nouitiis irregularibus ante ingressum, habentibus tamen animum profitendi, ea nihilominus lege, ut si ante professionem egrediantur, in irregularitatem suam reincidant. *art. 15.*

Permissum est iisdem Prælati dispensare cum Fratribus patiētibus irregularitatem (præterquā homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, ut ad quascumque administrationes & officia eligi & assumi valeant. *Ex Sixto IV. art. 16.* Possunt Prælati Regulares restituere dispensatiuè peractā pœnitentia subditos priuatos officiis & inhabiles ad ea per constitutiones Apostolicas propter crimina grauiora, ut sunt fornicatio, adulterium, stuprū, periuriū simplex, & alia huiusmodi, si tamen Summus Pontifex eorum

DISPENSARE. 125

eorum restitutionem dispensatiuam Sedi Apostolicæ minimè reserua-
uerit; non possunt autem dispensare in pœnis Ecclesiasticis debitis ma-
ioribus sine grauissimis criminibus, qualia sunt sodomia, bestialitas, si-
monia, incestus, assassinatus, quia eorum iurisdictio erga subditos non
est maior quàm Episcoporum erga Diœcesanos, quibus *Alexander III.*
concessit posse dispensare modo prædicto cum suis Clericis. *art. 17*

Non possunt Prælati dispensare cum fratribus simoniacè ad Ordines promotis, etiam in casu occulto propter rigorosam & validam quo-
ad hoc *Sixti V.* constitutionem prohibentem. *tom. 1. quæst. 20 articu-
lo 13.*

DISPENSATIO.

Quoad vota.

Papa non potest dispensare Re-
ligiosum manentem verè Re-
ligiosum in votis essentialibus,
quia illa sunt de intrinseca ratione
Religionis, sed potest dispensare &
efficere, vt Religiosus fiat sæcula-
ris

ris

126 DISPENSATIO.

ris in toto vel in parte, cum nusquam sit ei prohibitum, & possit dispensare in iure diuino, ex suppositione tamen quod habuit ornatum ab humana voluntate, vt optimè *Seco. ius. tom. 1. quest. 25. art. 1. & 2.*

De facto dispensatur Pontifex cum Religiosis militaribus quibusdam in voto castitatis, quamuis adhuc obligentur ad castitatem conjugalem, ita vt non possint accedere alienas, quin sacrilegium committant. *art. 4.*

Papa cum sit dominus omnium Christianorum in ordine ad fidem & finem spiritualem, potest irritare omnia vota Christianorum, maxime autem Religiosorum, contraria perfectioni fidei & utilitati spirituali Ecclesie, & tanquam summus Vicarius Christi in omnibus dispensare. *art. 5.*

Prælati cum sint domini voluntatis Religiosorum, possunt non tantum dispensare cum causa, sed & irritare omnia vota subditorum facta post professionem, etiãsi sint de re præcepta, vt de non furando, non mentiando, &c. tollendo nouam
obliga

DISPENSATIO. 127

obligationem illam nisi votū exce-
dat limites obedientiæ; vt si v. g.
esset de ingrediendo arctiorem Reli-
gionem, in quo tamen etiam possunt
ad petitionem subditi dispensare, nō
irritare. art. 4.

Eadem omnino possunt in Mo-
niales sibi subditas; earum tamen
Abbatissa, vtpote carens iurisdic-
tione spirituali in eas, non potest dis-
pensare; bene autem irritare, pro-
pter dominatiuam potestatem quam
habet in suas. art. 7.

Non peccant Prælati aut Abba-
tissa vota subditorum sine suo con-
sensu facta irritando, sicut nec sub-
diti & Moniales dictam irritationem
petendo sine causa, cum sub tacita
conditione Deo promiserint, videli-
cet si eorum Prælati non irritarent.
ibidem.

Omnia vota personaria & mixta
cessant emissa professione in Reli-
gione aliqua approbata. art. 8.

Tempore Nouitiatus non tene-
tur Nouitius ad vota illa, quæ non
potest implere in Religione. Sed
ad alia quæ potest, tenetur; in his
autem Possunt Prælati dispensare
& com

128 DISPENSATIO.

& commutare in opera seu exercitia ab ipsis in Religione fieri solita, cum habeant in eos iurisdictionem, licet non dominationem. Si tamen redeat ad sæculum Nouitius, non prodest dispensatio. *art. 6. & 8.*

Ex concessione *Eugenij I V.* facta Benedictinis, possunt Prælati regulares dispensare cum illo qui habet votum intrandi, v. g. Carthusiam, vt possit profiteri in Ordine Mendicantium iusta tamen causa interueniente; qualis est, si putet gratius Deo famulatum dicare in hoc Ordine quàm arctiori. *art. 6.*

Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes possunt dispensare in omnibus Obseruantiiis Regularibus, exceptis essentialibus & intrinsicis, nisi eis expressè sit prohibitum. Obseruantia autem comprehendit tam contenta in iure Religiosos concernentia, quàm in statutis & Regula (demptis tribus votis) etiam obligantia ad mortale, vt sunt pleraque præcepta in Regula Minorum, Sanctæ Claræ, & Iesuitarum, in quibus posita causa licet non sufficiente, nec necessitante

ex

DISPENSATIO. 127

ex Regula, possunt Prælati cum aliquo in particulari dispensare, & sua dispensatione supplere defectum necessitatis, ita ut frater minimè peccet. *tom. 1. q. 26. art. 1.*

Obligatoria nostræ Regulæ Fratrum Minorum, præter tria vota, nullo modo debent dici vota, sed tantum præcepta, & per consequens dispensabilia sunt sine abolitione status Minorici. *art. 4.*

Ad maiorem conscientiarum securitatem Pius I I. concessit Prælati Fratrum Minorum, ut possint dispensare in multis Regulæ præceptis quæ refert, ut de ieiunio, calceamentis; unde non sunt condemnandi utentes eiusmodi concessione. *17. 1. & 2.*

Cordoba approbat contra Collectorem privilegiorum concessionem Leonis X. factam Minoribus, ut possint recipere triticum ac alias res superabundantes, quibus fratres non habent necesse in propria specie uti, aut non in tanta quantitate, ut per Syndicum commutentur aut vendantur, & exinde necessaria alia emanant. art. 3.

30 DISPENSATIO.

Pij II. concessio extenditur etiam ad Guardianos & Præsidentes eorum absentia. Qui malè faciunt petenti dispensationem, v.g. equitandi cum aliqua causa, dicentes *Committo tui conscientia*, quin potius debent benignè uti concessione, nisi fraus appareat, aut id vergat in observantiæ relaxationem. *art. 5.*

Subditus absens à superiore potest uti epicheia, existimans in tali casu rigorem legis secum esse mitigandum; sed ubi est manifesta necessitas, quia maior esse debet ut peccato excusetur, quam ut à Prælato dispensetur. *ibidem.*

Affirmant quidam posse Prælatos in his omnibus secum dispensare, sed alij negant, cum sit actus iurisdictionis spiritualis, quam nemo habet in seipsum. Prudenter ergo facerent, si à maioribus Prælati obtinerent, ut in eiusmodi possent dispensari à suis Confessariis, aut (cum possint dispensare ratione iurisdictionis ordinaria delegabilis) si delegarent suam auctoritatem Confessori ab ipsis electo, &

quo

DISPENSATIO. 131

quo possent dispensare. art. 6.

Tam petens quàm dans dispensationē sine iusta causa peccat. Imò nisi detur à summo Pontifice, in foro conscientie non valet. Ea etiam cum causa rationabili data, rarò utendum est, cùm experientia doceat multa mala in Ecclesia, & Religionibus accidisse ex frequentiori huiusmodi dispensationum usu. art. 7. & 10. 1. qu. 46. art. 4.

An grauius peccet dispensans, an petens sine causa dubium est. Videtur tamen quòd cōcedens licet in vno & altero possit esse veniale, secluso scandalo, & aliis malis, quæ inde emergunt. art. 5.

Prælato præcipienti aliquid contra Regulæ præcepta, si adsit iusta causa, subditus debet bene seruire, scilicet, quòd tunc dispenset; sed si sine causa apparente, debet reuerenter monere, se non posse in hoc sine dispensatione obedire: nam Prælato præcipienti contra Regulæ præcepta, & non cum causa dispensanti, non tenetur quis obedire. art. 10.

Dispensatio contra ius commune

I 2 est

132 DIVINVM OFFICIVM.

est strictè interpretanda, ita tamen
vt seruetur proprietas sermonis, &
respectus detur ad tacita & acces-
soria, quæ ex præcedentibus & sub-
sequentibus colliguntur: Quando
autem est gratiosa, aut in corpore
iuris inclusa, latè est interpretanda
art. 11.

DIVINVM OFFICIVM.

Vide Monialis.

AD sedandos scrupulos Leo X.
concessit, quòd Fratres Mi-
nores satisfaciant officio secundum
Regulam, dicendo illud ambu-
lando, sedendo ob aliquam cau-
sam, non integrè pronuntiando per
imperitiam aut negligentiam, aut
defectum lingue, seu alias qualiter-
cumque imperfectè cum distra-
ctione dicant, dummodo hæc ex
malitia non faciant. Et similiter di-
centes cum aliis quòd non tenean-
tur repetere ab iis imperfectè pro-
nunciata, aut non integrè audita
ob strepitum, aut distantiam quali-
tercumque, & præsertim in choro.
Quod si aliquid omiserunt, satius
est